



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam acceptæ Legis apud Sina montemi. Ode Tricolos Tetrastrophos
XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam acceptæ Legis apud Sina montem:

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XV.

QVOD prima nusquam sacula viderant,
Vidère cani cum pueris senes,
Vxorq₃, nubilisq₃ virgo,
Turba panens populusq₃ cunctus,
Mortalium uti colloquiis Deum,
Et voce sancti numinis indice,
Præsenti electaq₃ gentis
Fœdera participem subire:
Cum liberatam seruitio graui
Plebem sacratis montium in abditis
Doctorg₃, dictatorq₃ coram
Alloquitur, recitatq₃ leges.
Cui signa præfert sollicitus timor,
Qui corda miro concutit impetu,
Clamore pererrampens tubaq₃
Saxa sono, tremulosq₃ monteis.
Hinc ignis alto deuolat æthere,
Summiq₃ tractus montis & æera
Collustrat, vrenteisq₃ flammis
Congeminat, penetratq₃ cantes:
Tunc explicatis vocibus, optima
Præcepta plebes, iuraq₃ suscipit,
Æquumq₃, prælucensq₃ verum,
Fasq₃ pium, officiiq₃ normam;
Legesq₃ certum qua doceant decus;
Sed mole monteis concutiant graui,
Morboq₃ languenteis auito,
Imperio exagitent tremendo:
Donec potenti numine, cordium
Illapsus urat spiritus intima,
Præstare & expertes panoris
Sponte animos meliora donet.

HUMANÆ INFIRMITVDINIS EXAM.

*Lux terris veneranda micat, mortalia sed quæ
Lumina præstringens turbet & vsq; premat.*



DEO PVRO SANCTO TERRIB. S.

C 2 In